ALBERTINAE
MAGNI DUCATUS ZÆHRINGO BADENSIS
UNIVERSITATIS LITERARUM
NOMINE

INITIUM LECTIONUM PUBLICARUM
AD XXI. APRILIS CIↃIↃCCCXVII
INDICIT

Dr. JO. LEONARDUS HUG,
ORDINIS THEOLOGORUM DECANUS,

ACCEDIT

LUCUBRATIO
DE
ORATIONE CICERONIS PRO M. MARCELLO

FRIBURGI,
IN OFFICINA LIBRARIA HERDERIANA.
MDCCCXVII.

Instat tempus, ut vos iterum à liberali otio, quod ad remittendum à labore animum, et ad curandam, qualis iuvenum esse solet, rem domesticam, destinatum est; ut vos à dulci adloquio parentum et propinquorum, è laribus paternis, ad literarum studia et consuetas occupationes evocemus, Cives Academici: quod ut officii nostri memores libentes agimus, ita et vos frequentes, nova mentis alacritate et cupiditate discendi, adfuturos esse speramus; eoque certius exspectamus, cum nunquam vos Patrum Hujus Academiæ amplissimorum benevolentia, et de omnibus et singulis bene merendi studium destituerit.

Qui superioribus temporibus nostra disciplina, nostro consilio, atque etiam ope nostra uti voluerunt, abunde testatum facient, esse sanctum venerabilis hujus collegii morem, ex aequo parentum et studentium commodis providere; omnibus bene velle et facere, et haud ita ex fortuna, quam ex ingenio, assiduitate et probitate pretium statuere bonarum artium et literarum alumnis. Eumdem hunc morem vobis perspectum, etiam ab illis, qui longo intervallo vos sequentur, agnitum iri non dubitamus, utpote quem â majoribus acceptum conservare, et in hâc studiorum universitate propagare pro temporum conditione nunquam fatiscemus.

Quod igitur felix faustumque sit: Adeste, Cives Academici ad diem vigesimum primum aprilis; is finem feriis imponito.

Huic carmini brevem lucubrationem adiicere visum est, cuius argumentum varie per hosce annos philologorum versavit industriam. Nota est, et pervulgata multorum ore contentio de oratione, quae inter ciceronianas inscribitar *pro M. Marcello*, nuper adducta in discrimen â viro clarissimo atque doctissimo Friderico Augusto

Wolfio *); defensa vero Olai Wormii et Beniamini Weiskii perspicacitate et doctrina singulari **). Accusationem acriter pressit literis praemature ereptus G. L. Spaldingius ***). Nonnulla deinceps pro defensione egregie molitus est A. Lud. Guil. Jacobus; aliquas tamen partes, spe remedii abiecta, a corpore orationis resecuit, quasi ad deformitatem a quodam e ludo declamatorum serius adfictas †).

Multum sane abest, ut haec disceptatio facili negotio ad exitum deduci, aut aliquot pagellarum ambitu terminari possit. Tot enim in orationem istam crimina congessit vir celeberrimus, qui eam in ius postulavit, ut defensio ad clepsydram exigi nequeat sed multorum annorum et amicorum indigeat auxilio. Verissimum enim est illud poetae:

Φημη γαρ τε κακη πελεται, κουφη μεν αειραι
Ρεια μαλ᾽, αργαλεη δε φερειν, χαλεπη δ᾽αποθεσθαι ††).

Etiamsi vero accusator nil intentatum reliquerit, ut eam criminibus suspicionibusque obrueret, et affligeret modis omnibus ingeniosa improbitate, qualem hucus-

---

*) M. Tulli Ciceronis quae vulgo fertur oratio pro M. Mareello. Recognovit animadversiones selectas superiorum interpretum suasque adiecit Frid. Aug. Wolfius. Berolini 1802. 8.

**) M. Tulli Ciceronis orationem pro M. Marcello νοθειας suspicione quam nuper iniiciebat Frid. Aug. Wolfius V. C. liberare conatus est Olaus Wormius Prof. et Rector scholae Hotersness. Havniae 1803. 8.

Commentarius perpetuus et plenus in orationem M. Tullii Ciceronis pro M. Marcello cum appendice de oratione quae vulgo fertur M. Tullii Ciceronis pro Q. Ligario auctore Benjamin Weiske A. M. scholae portensis nuper conrect. Lips. 1805. 8.

Laudatur a nonnullis G. Chr. Im. Kalau commentatio ad Wolfianas orationis pro M. Marcello castigationes. Lips. 1804., quam oculis contrectare non obtigit; eam tamen in commodum suum se convertisse fatetur Weiskius.

***) Vide Museum antiquitatis studiorum. Opera F. A. Wolfii et Phil. Buttmann. Vol. I. fasc. I. Berol. 1808.

†) De oratione quae inscribitur pro M. Marcello Ciceroni vel abiudicanda vel adiudicanda quaestio. Pro summis in philosophia honorib. . . conscripsit Aug. Ludov. Guil. Jacob. Berolini et Halis. 1813. 8.

††) Hesiod. op. et D. 759. 60.

que operum, ex antiquitate in nos delatorum, expertum est nullum, eius tamen causa ita acta est ab altera parte, ut, si iniqui esse nolimus in clarissimorum virorum doctrinam atque labores, complura ipsis prospere cessisse fateamur necesse sit. Praecipue, quatenus eius iudicium pendet ex interiore cognitione historiae, rem ita gessit A. L. G. Jacobus, ut accusationi plurimum ponderis decesserit. Cum igitur capita accusationis haud pauca ad liquidum perducta sint, labore supersedere possumus, filum orationis continua adnotatione prosequendi; liberumque nobis est, quasi pabulantibus, sicut visum fuerit, circa haec vel illa discurrere.

Nullam omnino pro M. Marcello orationem à Cicerone dictam fuisse, Wolfius efficere conatus est ex Plutarcho *). Cum Gaesar aegre prodiret in forum ad audiendum de Q. Ligario, cujus damnationem sibi pertinaciter animo proposuerat, tandem precibus amicorum cessit, inquiens: quid obstat, quo minus Ciceronem *tanto intervallo* audiamus dicentem? Ita nimirum interpretatur verba Plutarchi: *Τι κωλυει* ΔΙΑ ΧΡΟΝΟΥ *Κικερωνος ακουσαι λεγοντος*; additque perperam haec vertunt alii: quid obstat, quin Ciceronem aliquamdiu orantem audiamus? Quod si certa est et explorata viri celeberrimi in medium allata explicatio verborum Plutarchi, undequaque sibi Caesar non erat conscius, Ciceronem pro M. Marcello orationem dixisse. Qui enim respondere poterat: quid obest, quominus Ciceronem *tanto intervallo* audiamus dicentem, si paullo ante oratione habita sibi gratias in senatu pro Marcello egisset? Eam vero haud multo Ligarianam antecessisse temporum et factorum ordo flagitat.

Hoc argumentum, quasi Wolfii fiducia perturbati, devitare quam refellere maluerunt. Vereor, ne Plutarchus de magno intervallo, *δια χρονου παλλου* dixisset, quod alias eum fecisse videmus **). Apud Xenophontem certe voces *δια χρονου* eiusmodi tempus indicant, quod commode etiam breve, *ολιγον*, dici poterat. Cyrus enim Medo se excusanti, *ηκω δια χρονου*, respondet *νη Δια — δι ὀλιγου*. Si quid recte video, in hoc capite Xenophontis, *δια χρονου per intervalla* significat ***). In li-

*) In vita Ciceronis, edit A. Bryani. T. IV. p. 483. Cap. XXXIX. p. 364. T. V. Tubing.

**) De defect. orac. c. 15. p. 325. T. IX. Tüb.

***) Cyropaed. L. I. c. 4. cum libellus in omnium manibus sit, nolui exscribere locum satis prolixum.

bello de republica Atheniensium, sive eius, sive alterius sit auctoris, verba: *ταυτα μεν ουν οσα ετη δια χρονου διαδικασαι δει στρατιας*, non alium sensum admittunt, quam oportere quotannis per intervalla ius dicere militibus *). Idem adfirmat querimonia Philoctetis apud Sophoclem de malo, quod per intervalla miserum incessebat **):

> *ηκει γαρ αυτη δια χρονου, πλανοις ισως*
> *ως εξεπλησθη* —

Quomodocumque locum hunc torserimus, peius ac Philoctetem sua calamitas, nil aliud ex illo eliciemus.

Sed Plutarchum ipsum audiamus. De subitis iuvenum Spartanorum excursionibus in Helotas ita loquitur: *των νεων οι αρχοντες δια χρονου τους μαλιστα νουν εχειν δοκουντας, εις την χωραν αλλως εξεπεμπον*, quod Bryanus non omnino male reddit: certis temporis intervallis ***).

Libellum de cohibenda ira his verbis inchoat: *Καλως μοι δοκουσιν, ω Φουνδανε, ποιειν οι ζωγραφοι, δια χρονου τα εργα πριν η συντελειν επισκοπουντες· οτι την οψιν αυτων αφισταντες, τη πολλακις κρισει ποιουσι καινην, και μαλλον απτομενην της παρα μικρον διαφορας, ην αποκρυπτει το συνεχες και το συνηθες.* Fit igitur *δια χρονου* — *η πολλακις κρισις* — et *παρα μικρον*; intellige *διαστημα*. Laudat nimirum morem pictorum per intervalla contemplantium opera sua, quo illis maiorem perfectionum tribuant; censetque magis esse proficuum artifici, repetitis vicibus innovare examen ad iudicium pulchri acuendum varietate motionum; secus enim contingere, ut continuo adspectu tabularum sensus obtundantur, et perferre usu adsuescant, quae corrigenda erant, aut elaboranda perfectius †). Operae pretium est, ut integrum hoc exordium relegamus, in quo potestas phraseos *δια χρονου* repetito explicatur.

In opusculo de vitando aere alieno, foeneratorum omnem felicitatem in eo reponit, quod per intervalla codicillos rationum inspiciendo, et reputando oblectentur, quantum aeris praesto sit, et quantum extet in versura: *ουδεν εχει πλεον, η δια χρονου λαβων αναγνωναι, ποσους πεπρακε*, videlicet agros debitorum, et quae sunt reli-

---

*) Cap. 3. sect. 5.]

**) In Philoct. v. 163. 64.

***) In Lycurgo. Tom. I. Bryani p. 122. et edit. Tubing. c. 27. p. 136.

†) Tom. IX. opp. Tub. 422.

qua *). Adde his quae inferius ait: τι ουν; ου γινεται χειμων περι τους χρηστας, οταν επιστη δια χρονου δανειστης, λεγων· Απο:ος ***). Instar multorum vero esse potest locus in ερωτικω, c. 23. quem indicasse mihi sufficeret, si nullo auxilio indigeret. Certe, εκ των εκαστοτε συλλεγομενων σχηματων, verba sunt indigna verecundo inprimis et gravissimo scriptore; neque adridet celeberr. Wittenbachii coniectura, qui vocabulum ισχηματων substituit. Quid si, εκ των εκαστοτε συλλεγομενων προσχηματων, legeremus; videlicet obtentu undecumque demum petito? A proposito auctoris, eiusque gravitate, haec lectio saltem non aliena esse videtur.

Sed in viam redeamus. Ex adductis hucusque exemplis facile colligimus, verba δια χρονου omnia potius significare, quam tanto intervallo; quin contra adhiberi de repetitis actionibus, quae haud magno spatio seiunguntur. Falso itaque ellipsim supplemus, addendo μακρου vel πολλου; non tamen exinde oppositum efficere velim, contendamve, verius suppleri δια χρονου μικρου aut ολιγου. Loquendi modus iste nullo certo tempore finitur, ut fere accidit in iis, quae pro arbitrio facimus nonnunquam; unde phrasis plene effertur, δια χρονου τινος, post aliquod temporis spatium, seu, ut frequentiae ratio habeatur, per intervalla.

Quapropter si Caesar δια χρονου τινος, post aliquod temporis intervallum, Ciceronem audivit in causa Ligarii, manifestum est, haud multo ante orationem à Cicerone habitam fuisse, quam inter atque Ligarianam hoc intervallum protenditur. Nullius vero exstat memoria, nisi illius, quae pro M. Marcello antiquorum fide in nos devenit. Quin Cicero sibi silentium indixerat, quod praeter opinionem, dulci quodam resurgentis reipubl. somnio delusus, repente solvit, cum Marcello reditus decerneretur. Noli, ait, quaerere: ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis reipublicae. - - - - Statueram, non me hercule inertia, sed desiderio pristinae dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium et Caesaris magnitudo animi, et senatus officium. Itaque pluribus verbis egi Caesari gratias ***).

---

*) Cap. 5. p. 212. Tom. XII.

**) Cap. 8. p. 217.

***) Epistolar. ad divers. L. IV. Ep. 4.

Cum Plutarchum habeamus luculentum hujus ultimi commatis interpretem, non tantopere posthac de ejus sensu laborabimus, aut a Wolfio nobis persuaderi sinamus, pluribus verbis egi Caesari gratias, nil aliud forte significare, quam paucioribus, ac iusta oratio requirit. Sed iam ad orationem ipsam accedamus.

Statim in exordio tot difficultates sibi invenisse videbantur viri docti; praesertim in isto timore, dolore, in verecundia, ut cl. Weiskius, incertus quomodo nodum expediret, ad glossematis suspicionem confugerit. Si tamen singula examinemus, sententiae sensus constabit aptus et quam maxime adpositus. Nil magis conveniebat in oratorem, qui iam aliquo tempore in senatorum ordine, quantum poterat brevissime, sententiam dixerat: alioquin consilio et auctoritate ceteris praeire solitus; quam ut rationem huius silentii redderet, cum repente, et velut subito recuperata voce, omnium nomine verba facere ordiretur.

„Diuturni silentii, Patres Conscripti, quo eram his temporibus usus, non timore „aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, — "

Non timore aliquo, quod Caesari perhonorificum est, à cuius animi magnitudine non erat metuendum, ut quidquam superbe aut crudeliter ageret; atque etiam Ciceroni, à cujus constantia et gravitate alienum esse debebat, timere. En ejus mentem in epistola ad Papirium Paetum *). De illo autem, quem penes est omnis potestas, nihil video, quod timeam; nisi quod omnia sunt incerta, cum à iure discessum est; nec praestari quidquam potest, quale futurum sit, quod positum est in alterius voluntate, ne dicam libidine.

Sed partim dolore — certe honestissimo: neque enim Caesar sibi fingebat, virum qui, ut ad rempubl. accessit, in ea retinenda et stabilienda omne studium collocavit, ex commutatione rerum non dolere; neque in virum bonum cadebat, quod semper habuerat carissimum, tantopere inmutatum sine dolore intueri.

Partim verecundia — qua continemur, ne quidquam inmodeste aut inconsiderate committamus, ex quo sinistram opiniouem, vel ignominiam in nos provocemus **). Vereri omnino poterat, si more suo ageret, videri, se se pristinae auctoritatis non posse oblivisci, et cupidius umbram consectari extinctae potestatis. Non

*) Ep. ad divers. L. IX. E. 16.

**) Aristotel. de mor. L. V. cap. ult.

enim versabatur in ea republ. eoque in senatu, in quibus ex omnium iudicio inter principes censebatur, sed quasi advena degebat inter non suos in re aliena, in quam intromissus erat per indulgentiam victoris, cum ceterorum plerique armis et periculis hunc locum essent consecuti; seu quod ipse ait festive ad amicum: Sedebamus in pupi, et clavum tenebamus; nunc autem vix est in sentina locus *). Quid ergo si se sollicite continuit, ne quid diceret aut incurreret indignum, eum imprudenter se gessisse existimemus?

Utramque hanc silentii causam sublatam eo die videt, quo acerrimus reipubl. defensor, Caesari in primis gravis, in senatum revocatur; eodemque momento de reddita pristina sentiendi et dicendi libertate augurium capit. Enimvero sensa omnium eo die in lucem prodierunt: patebat modo, quo animo sint Caesareani in concives suos, qui pro Pompeio steterunt, cum vehementissimum Pompeianarum partium adsertorem tanto consensu salvum esse vellent. Patebat etiam, Caesarem non ita aversum esse à republica, ut eius patronos atque vindices reducere pertimesceret; aut ita transversum agi, ut regnum in animo haberet.

Spes igitur affulgebat saltem alicuius reipublicae, unde de dolore iam nonnihil erat remittendum, et de illa verecundia, quae hucusque oratorem constrictum tenuit. Utriusque vero causa sublata, consequens erat, ingenuam libertatem censendi, quae cum republ. est coniuncta, diutius abesse non posse. Quapropter eadem ratio, quae finem silentio imposuit, libertatem orationis instauravit.

Prolixiores fortasse in hisce exponendis fuisse censebimur; verumtamen ab initio statim cavere opus erat, ne quid praeiudicati, ubi de hac oratione statuendum est, in iudicium inferamus. Qui enim in hoc facto nihil aliud vident, quam hominem patriae redditum, aegre concipiunt, cur Cicero de eo tantum clamoris fecerit; et ii etiam, qui in Marcello nil nisi hominem contuentur beneficio adfectum ab eo, cui erat infensissimus, laudationem hanc inmodicam existimabunt, et varia rerum extranearum congestione refertam. Monendum igitur erat, dari facta adeo fecunda, ut ex iis consequentium mutationum auspicia sumere proclive sit. Illis accensuisse Ciceronem, quae in causa Marcelli eo die gesta sunt,

---

*) Epistol. ad divers. L. IX. E. 15.

dubium non est. Sola enim haec, inde à belli civilis tempore, acta cum dignitate; quin et aliquam reviviscentis reipubl. speciem offerre existimabat *).

Quae sequuntur magis sunt expedita, et virorum doctorum labore delucidata, ita ut nobis minus de singulis vocibus dispiciendum sit, quam de iusto ordine rerum et sententiarum, qui nuperrime in controversiam adductus est.

Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam — — restitutam puto. — — Praecedens sententia duas habet partes: diuturni silentii finem, et initium pristino more dicendi; haec vero explicat, cur modo dicendum; cur à Cicerone dicendum sit? Tantam enim mansuetudinem indecens esset silentio praetermittere; in primis vero mihi, qui pristinam meam auctoritatem, cum eadem Marcello reddita sit, non amplius in ambiguo versari puto.

Dolebam enim — — — signum sustulisti. — Rationem reddit antecedentis sententiae: quod enim me adtinet, subinde de mea fortuna dubitabam; numne essem senator; numne in negotiis civitatis, si circumspicerem, et nusquam in illum aemulum et socium laborum oculis incurrerem? Iam vero eum me esse iterum sentio, qui fui. Quod autem pertinet ad statum civitatis, non obscure hoc actu significas, quantum senatum posse velis, cum illi Marcellum concesseris. Eo usque enim Caesar senatui parum tribuit: omnia, in epistolis inquit Cicero, delata ad unum sunt. Is utitur consilio, ne suorum quidem, sed suo **).

Offendunt hic censorem cumulatae voces; aemulo, imitatore, socio ac comite. Sed omnes istae voces vim quamdam habent et virtutem: Marcellus natu minor Cicerone, à puerili aetate oculos in eum intendisse, eumque selegisse videtur, quem coleret, et tamquam praeclarissimi civis exemplar imitatione contingeret. Quotiescumque Cicero de ratione familiaritatis loquitur, quae inter ipsum et Marcellum intercessit, Marcelli pueritiam cum sua virili aetate componit ***). Serius etiam, cum iam summis honoribus esset defunctus, Brutum si audiamus, quantum ad eloquentiam, partes imitatoris et aemuli sustinuit, quem Cicero habiturus sit similem, utpote qui in Mitylenensi otio factus sit ei multo similior †). Haec si spectemus,

*) Epistol. ad divers. L. IV. ep. 4.

**) Lib. IV. Epist. ad divers. Ep. 9.

***) Epist. ad divers. L. XV. Ep. 9. et L. IV. Ep. 7.

†) De claris orator. seu Brutus. C. 71.

imitator et aemulus; ceterum socius et comes, non itineris, ut male supplet Wolfius, sed vitae fuit; quippe eamdem reipubl. rationem eademque consilia secutus.

Hactenus orator Marcelli revocationem tantum expendit, quatenus ad se ipsum pertinebat; suum silentium, suam censendi facultatem, auctoritatem, suam cum eo necessitudinem; in ultimo vero commate ad senatum leniter deflexit. Modo transit ad Caesarem.

Intellectum est enim — anteferre. — Horum summa est: Caesarem, etiamsi conscium offensionum, quas à Marcello pertulerat, tamen privati odii causas, et metum de viro, quem adversarium perseverantissimum compererat, non tanti facere, ut passionibus suis aequabilem rerum statum impediat. Cuncta vero haec decore magis indicavit, quam imprudenter explicuit, quemadmodum ab homine expectes, diuturno vitae usu, et politissimae societatis consuetudine edocto, singula verba ponderare.

Iam animum advertit ad Marcellum. — Ille quidem fructum - - - iure contigit. — Cuius videlicet vita ita comparata est, ut adversariis non minus ac amicis probata sit, omne punctum tulit; et non infelix dici potest, qui ex sua revocatione non tantum gaudii percipit, quam percipiunt omnes, utra ex parte steterint.

In hac sententiarum serie accusator primo perstringit verba: quanta in dato beneficio laus sit, cum in accepto tanta sit gloria. Quaerit: cur in priore membro posita sit laus, in posteriore gloria, cum inversa haec non minus vera esse videantur. Vera equidem me iudice; sed non oratoria. Recte enim procedit oratio, si à laude ad gloriam ascendat. Audiamus Ciceronem pro Corn. Balbo c. 5. O Cn. Pompeii sic longe lateque diffusa laus, ut eius gloriae domicilium communis imperii finibus terminetur. Nostro praeterea in loco peculiaris ratio obtinet; vocabulum enim laudis positum de beneficii auctore, cum paullo post in eum, qui beneficium est consecutus, gloria conferatur, tantum suscipit augmenti, ut gloriam, si non excedat, exaequet. Habet id artificii nostrum comma, ut initium eius in fine adpareat magnificentius.

Praeterea reprehendit verba: Est vero fortunatus ille - - - Equidem putabam, inquit, alia omnia potiori iure laudanda esse in tali homine, quam fortunam. Ego vero nihil praestantius de illo praedicari posse arbitror. Fuit enim ea in illo homine animi magnitudo, ut eius fortuna à casibus vitae humanae non posset labe-

factari. Eum sane Brutus Mitylenis vidit, *quantum modo natura hominis pateretur, beatissime viventem*, quem non exulem relinquere sibi videbatur Brutus; sed ipse ire in exilium, sine illo rediturus *). Ita veteres de fortuna statuerunt. De Finib. Bonor. L. III. c. 8. Tusc. quaest. L. IV. c. 28.

Certum etiam est Marcellum non tantum gaudii ex suo reditu percepisse, quam suos. Verebatur ipse Caesar, ne Marcellus revocationem suam beneficium omnino non putaret; atque compertum habemus, eum beneficium hoc, ut amicorum voluntati morem gereret, potius non recusasse, quam accepisse **).

C. II. Seligimus huius capitis posteriorem partem: Nam bellicas laudes - - - nec ad consilium casus admittitur. — Iisdem fere verbis de bellica laude loquitur Cornelius Nepos ***): Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus et fortuna; quod in proelii concursu abit res à consilio ad vires vimque pugnantium. Itaque iure suo, nonnullo ab imperatore miles, plurima vero fortuna, vindicat, seque his plus valuisse, quam ducis prudentiam vere potest praedicare."

Prae ceteris displicent censori extrema verba capitis, quasi Cicerone indigna: Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur. — Ac sane, ait, si numquam illis in rebus casus et fortuna cum sapientia commiscetur, in rebus autem bellicis pleraque sibi vindicat fortuna: pro insipientibus fortunae filiis habendi erunt omnes, quotquot umquam fuerunt, clari imperatores. Et certe prima fronte haec difficiliora adparent, quam reapse sunt: qui enim sapientiae nullae sint partes in bello?

At vero haec aestimanda sunt non ex nostrae, sed ex romanae linguae consuetudine. Sapientiam rei militaris in scriptoribus romanis nemo se legisse meminerit; scientiam vero rei militaris, peritiam, experientiam, prudentiam, obvias esse voces norunt omnes. Contra vocabulum sapientiae ad philosophorum placita referebatur: praecipue ad eam partem philosophiae, quae in formando animo occupatur, et in temperandis eius motibus atque regendis; aut ad principia officiorum et legum, ac humanae societatis ordinandae et gubernandarum civitatum praecepta. De fin.

---

*) Seneca, consol. ad Helvid. c. 9. ê libro Bruti de virtute.

**) Epist. ad divers. L. IV. Ep. 7. 8. 9. 10. 11.

***) In Thrasybulo, c. 1.

bon. L. I. c. 14. Tusc. quaest. L. IV. c. 3. L. V. c. 2. et 3. de off. L. I. c. 43. et 44. Subinde sapientia etiam tribuitur oratori, quatenus est auctor publici consilii, regendae civitatis dux, sententiae princeps in senatu, in populo, in causis publicis. De Orat. L. III. c. 15. Unde Cicero in oratione pro L. Murena c. 14. Omnia ista nobis studia de manibus excutiuntur, simulac aliquis motus novus bellicum canere coepit. Etenim, ut ait ingeniosus poëta, et auctor valde bonus, praeliis promulgatis, pellitur e medio non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiae, sed etiam ipsa illa domina rerum, sapientia; vi geritur res: spernitur orator. cet. Quem hic locum poëtae laudat, servavit Gellius *):

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur,
Haud doctis dictis certantes, sed maladictis. etc.

C. III. Domuisti gentes immanitate barbaras - - - - - simillimum Deo iudico. — Haud pauca in isto capite experta sunt severitatem censoris, et prae primis verba: sed tamen ea vicisti, quae naturam et conditionem, ut vinci possent, habebant. rel. Quid? interrogat; num animus humanus eam habet naturam, ut vinci nequeat? Cur ergo philosophi et poëtae nos iubent animum vincere, mentem compescere, frenis regere atque catena? Et tamen, ô Praeclare! solus humanus animus is est, qui sit invictus. Omnino, ut ait Seneca **), inter superantia animus invictus est. Ideo nemo trecentos Fabios victos dixit, sed occisos. Et Regulus captus est a Poenis, non victus." Sed ad poëtas provocas; do tibi Horatii illud notum: cuncta terrarum subacta praeter atrocem animum Catonis ***). Addo oratorem, et quidem Demosthenem, pulcherrime in laudatione funebri caesorum ad Coroneam dicentem: το μεν κρατειν εν τοις ζωσιν, ὡς ὁ δαιμων παραδῳ, κρινεται· ὁ δἐις τουτο εκαστον εδει παρασχεσθαι, πας ὁ μενων εν ταξει πεποιηκεν· ει δε, θνητος ων, την ειμαρμενην εσχε, τη τυχη πεπονθε το συμβαινον, ουχε την ψυχην ηττηται των εναντιων †). Quin Cicero sententiam istam, ut suam, vindicat in libro de finibus, statuens: recte invictus, (appellabitur)

---

*) Noct. att. L. XX. c. 10.

**) De Benefic. L. V. c. 3.

***) Od. L. II. 2.

†) Edit. Reiskii, p. 1394.

cuius etiamsi corpus constringatur, animo tamen vincula iniici nulla possint *). Hunc igitur, qui nec ferro, nec armis cedit, suapte potestate animum, cui in summa rerum constitutus tanta indulgere poterat, vincere, divinae indolis est.

Superest comma intermedium: — Sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem — quod Wolfium offendit. Subiungit illi: hoc dumtaxat amplificandae periodo inservit; quippe nihil legitur à Caesare factum, attollendi Marcelli causa. Attamen quot et quanta non leguntur! inde illa felicitas negantium, qui eo fortius urgent, quanto certiores sunt, non exstare monumentum alterum, unde, quae in uno negant, confirmare possibile sit. Fuere plures, quid illud à Caesare sunt consecuti, quin sciamus, queis aucti fuerint dignitatibus aut honoribus **). Habemus exemplum in Trebiano: eum Cicero solatur, quod tardius, quam aequum est, recuperet fortunam et dignitatem suam; in sequente epistola eidem de restitutione gratulatur, additque: vives cum tuis, vives nobiscum; plus acquisivisti dignitatis, quam amisisti rei familiaris ***). Simili modo Marcello aliquid non vulgare concessum fuisse, etiamsi, quid fuerit, ignoremus, aliunde patet. Scribit Cicero ad Caecinam: In quo admirari soleo gravitatem, et iustitiam, et sapientiam Caesaris; nunquam, nisi honorificentissime, Pompeium appellat. At in eius personam multa fecit asperius. Armorum ista, et victoriae sunt facta, non Caesaris. At nos quemadmodum est complexus? Cassium sibi legavit, Brutum Galliae praefecit, Sulpicium Graeciae; Marcellum, cui maxime succensebat, *cum summa illius dignitate* restituit †). Quid ergo egit? An Marcellum consulem fecit? Haec summa eius erat dignitas. Sed Marcellus obiit ante reditum; ideoque quid fecerit, quidve facturus fuerit Caesar, in obscuro manet, cum, quod sibi proposuit animo, exequi non potuerit. Verum et alia erant, quae ad dignitatem auctoritatemque senatorum spectabant: velut, quo loco in senatu quis sententiam rogaretur. Si inter consulares, de quo dubitari vix potest, locum obtineret, haud parum dignitatis illi accessit. Veterum enim consularium alios fatum abripuit, alios detinuit exilium; quosdam Caesar provinciis

*) L. III cap. ult.

**) Plutarch in Caes. c. 57. et Sueton. in Caes. c. 75.

***) Epist. ad divers L. VI. Ep. 10. et 11.

†) Epist. ad div. L. VI. Ep. 6.

praeposuit, ita ut ex iis, qui Pompeium erant secuti, in senatu iam essent nulli, praeter Ciceronem et Marcellum, cuius reditus exspectabatur *). Quare amplissimo loco, a quo, habita ratione consulatus eius, longissime aberat, ni bellum civile subsellia vacuefecisset; et inter primos sententiam dicebat. Pergamus iam ad reliqua.

Itaque, C. Caesar, bellicae tuae laudes — — — — obstrepi clamore militum videntur. — — — Nolumus referre singula, a censore allata in medium, non tam ad illustrandum, quam ad deformandum sensum orationis. Sensus hic est: non interibunt bellicae tuae laudes, quae longe lateque diffusae, per omnes aetates propagabuntur. Veruntamen habent res bello gestae coniunctam quamdam speciem feritatis, qua voluptas legentium interturbatur. Id ne pinguius efferret, imaginem commentus est: cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur et tubarum sono. Consimili exornatione usus est Horatius **), dum Asinium Pollionem dehortatur, historiam belli civilis scribere molientem; ne id agat, nimium esse severa ista, et recentis mali recordatione ingrata:

Iam minaci murmure cornuum
Perstringis aures; iam litui strepunt.

Quaeso? an non nitent ista; an non lumen orationis recte dicuntur? Verum superest, quod incusent, verbum obstrepi in passivo positum ad morem latinitatis labentis, quemadmodum apud Valerium Max. VIII. 15. 8. et Tacitum Hist. II. 44. recurrit. Sed ecce! ita etiam legitur apud Livium ***): in concionem Appius ascendit. sequuntur Horatius Valeriusque; eos concio audit: Decemviro obstrepitur.

At vero quum aliquid clementer, mansuete, - - - - quos nunquam vidimus, diligamus. — Inspiciamus iam commentarium: An non vero et in bellicis rebus cognoscendis maximo studio incendimur? Atqui hoc orator non inficias ivit. Contendit solummodo, inesse historiis praeliorum urbiumque expugnatarum quiddam, quod

*) Epistol. ad Attic. L. XIII. Ep. 10. Minime miror, te et graviter ferre de Marcello, et plura vereri periculi genera - - - - omnia igitur metuenda; sed illud παρα την ιστοριαν, tu praesertim: *me reliquum consularem.*

**) L. II. Ode I.

***) L. III. c. 49.

non perinde sensum humanitatis grate adficiat, ac insignis mansuetudinis et clementiae exempla. Pergit censor: imperator, nullamne occasionem habet clementer, mansuete, iuste, moderate agendi? Neque hoc auctori nostro negare unquam in mentem venit. Disiungit bellicas laudes a ceteris virtutibus, et merito quidem. Si quis auctoritatem vel exemplum poscat, exhibeo Isocratem. Manifestum est, ait, praestanti ad bella gerenda animo dari multos, ceteroquin flagitiosos homines; mansuetudinem vero et benefaciendi in omnes voluntatem, solum insitam esse bene natis, et altis atque educatis, et necquicquam cum improbis esse communem *).

Adiiciamus locum Diododori, qui, si Ciceronis sententia explicatione indiget, ad eam illustrandam in paucis est aptissimus. Posteaquam Alexandri pietatem in uxorem filiasque Darii et parvulum filium commemoravit, prosequitur: ego quidem inter multa Alexandri praeclare gesta nullum exstare maius arbitror, digniusque historiae monumento conservari. Urbium enim expugnationes, secunda praelia et prosperi bellorum eventus, ut plurimum fortunae potius, quam virtuti debentur. At misericordiam in summa potestate devictis et miseris impertiri, hoc demum prudentiae soli acceptum est referendum **).

Haec et non alia mens est Tullii. Seiungit gloriam in bello partam ab ea, quam bene, mansuete, iuste agendo comparamus: constat rebus in bello gestis sua laus; habent tamen, quod nos ferociae admoneat: at vero pie, mansuete acta, praesertim in ira et elatione victoriae, mira voluptate adficiunt omnes, et benevolentiam nostram provocant in eos, quos non vidimus, et qui fortasse non extiterunt, nisi in carminibus poëtarum.

Prona iam erat transitio ad ea, quae coram et praesentia intuemur, a quibus proinde facilius percellimur, et efficacius commovemur. Nulla potest cogitari iustior transitio, nec aptior ad provehendam orationem. Hunc iam animi motum, quem oculis subiecta fidelibus excitant, non explicare multorum verborum adparatu, aut splendide depingere connititur, sed concitatione orationis assequi; interrogando, exclamando, more hominum, qui subito adspectu rei gratae in admirationem rapiuntur. Te vero - - - - quibus laudibus efferemus! quibus studiis prosequemur! qua bene-

---

*) Panathenaic. p. 652. Basil. 1587.

**) Biblioth. hist. L. XVII. c. 38.

volentia complectemur? Parietes, medius fidius, ut mihi videtur, huius curiae tibi gratias agere gestiunt, quod - - - -

Parietes denique fingit videri, in sensum gaudii conspirare. At hi ipsi parietes sunt, quos acriter oppugnat censor. Et profecto ferendum non esset, nisi pedetentim increvisset oratio, atque iam rueret concitatior, ut inanimata in partem gaudii et gratitudinis advocarentur; verum postquam per varios motus eo escendisset, ut insolesceret, reliquum erat, proxima quaeque compellare: mutum illud Capitolium, templa deorum immortalium, si in foro fuisset orator; in Curia parietes. Ita fere instigat et propellit orationem Cicero in defensione Cluentii, quousque viam sibi fecit ad inanimata, ad parietes: O mulieris scelus incredibile, et, praeter hanc unam, in omni vita inauditam! o libidinem effrenatam et indomitam! o audaciam singularem! non timuisse, si minus vim deorum, hominumque famam, at illam ipsam noctem, facesque illas nuptiales? non limen cubiculi? non cubile filiae? non *parietes* denique ipsos, superiorum testes nuptiarum *)?

Monemur vero: aliud est, inanimatis sensum hominis tribuere; aliud adiicere linguae et orationis usum, et quaecumque homines facimus in sensis animi exprimendis. Videamus iam, quae ipsis facultates tribuantur. Habent certe, si Ciceronem audimus, sensum gaudii et tristitiae: templa gemunt, tecta lugent **); atque etiam moenia, tecta, templa laetantur ***). Habent conscientiam et horrorem scelerum; metuendumque est, ne si vocem acciperent, illa propalarent, et arguerent †). Quin tecta adfari homines videntur, eosque aegre perferre et propellere foras ††):

*) Pro Cluent. c. 6.

**) In Pisonem, c. 9.

***) Ibid c. 22.

†) Aeschyl. Agamem. 37. οικος δ' αυτος, οι φθογγον λαβοι, σαφεστατα λεξειεν. confer, quae in versum hunc notavit Schützius. Euripid. Hippol. 418. 19. ουδε σκοτον φρισσουσι τον ξυνεργατην τεραμνα δοικων μη ποτε φθογγην αφη. Cicero, pro Coelio. c. 24. Nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eliciat? non parietes conscios. — Adde, quae huc congessit doctiss. Wormius p. 63. Vide sis etiam Spaldingium in Mus. antiq. Vol. I. p. 28 — 30.

††) Euripid. Andromach. 918. 19.

ως δοκουσι μοι
Δομοι γ'ελαυνειν, Φθεγμ' εχοντες, οιδ' εμε,
Μισει τε γαια Φθιας.

Parietes ergo Curiae sentiunt; conscii esse possunt rerum, quae intus geruntur; ex iis gaudium concipere et moerorem; sique ab improbe factis abhorrent, etiam ad benefacta non obriguerunt penitus. Quomodo vero hunc sensum exprimunt? an loquuntur? Gestum tantum edunt; ne edunt quidem; sed edere videntur: vel, si verbo gestiunt, desiderium potius aliquid agendi significari, quam motum corporis malimus, desiderium tantum praeseferre videntur, gratias agendi.

Quantnm ad formulam: medius fidius; res ea fronte pertractata est, ac si propter figuram orationis reum agere vellent auctorem ex lege de periurio. Faciamus abesse hyperbolen, et plane nullus eiusmodi interpellationi locus erit; posteaquam vero superlatione usus est: parietes gratias agere velle videntur; rem incredibilem dixit, et idcirco adseverandi formula confirmavit, ceterum vulgari, quam si demseris, sententiae nostrae senties quidquam decessisse.

Hi parietes vel nisum produnt vel desiderio aguntur, gratitudinem suam exprimendi, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorum et suis sedibus. Omnes virorum doctorum querelae de hoc commate originem traxerunt ex vocibus: illa auctoritas. Cum enim Cicero auctoritatem senatui, populo potestatem passim tribuat, sub illa auctoritate senatum intelligi censuerunt; obliti penitus, sermonem esse unice de adversario, nobilitate, ingenio, virtute praestanti, de M. Marcello, qui proinde per illam auctoritatem indicatur.

Accedo igitur interpretationi Abrami, quae et simplicissima est, et ipsa orationis serie commendata, atque etiam Wolfio, licet non sine cavillatione, probata. Illa auctoritas ponitur pro illo homine tanta auctoritate insigni; quin et excellentius ponitur, quemadmodum in oratione de provinciis consularibus, c. 9. haec lumina et ornamenta reipublicae, pro viris illustrissimis et ornatissimis; vel pro Sextio, c. 28. M. Catonis splendor. Praetermitto exempla huius tropi in deteriorem partem: quoties Cicero hoc scelus, pro homine, qui totus quantus est scelestissimus; aut haec pestis, haec labes dixit? Eo fere modo Demostenes ὁ λοιμος, τουτο το καθαρμα, et Tragici παν δειμα, μισος, πασα βλαβη. Parietes curiae ergo gestiunt — quod in hoc ambitu, quem includunt, in hac consilii publici sede, in

hoc maiorum suorum, atque etiam suo loco, brevi adfuturus sit vir ille maximae auctoritatis.

C. IV. Equidem quum C. Marcellli — — ab interitu vindicasti. Transit in hoc capite orator à M. Marcello ad eius fratrem et familiam. Lacrimae enim C. Marcelli subito totius splendidissimae Marcellorum gentis memoriam suscitarunt. Nihil certe ad veritatem propius accedit, quam ut praeclarissimorum virorum imagines se se animo Ciceronis ingererent, cum Marcellorum unum ad pedes Caesaris contueretur. Verumtamen hanc recordationem, ex comparatione fortunae tristem et ex sensu tristitiae enatam, ita convertit in rem suam, ut Caesari non posset esse non grata. Horum omnium, inquit, honori consuluisti, dum eorum stirpe genitum restitueres, ipsorumque generi labenti subvenisti, cum ipsis exulem redderes.

Haud parum molestiae interpretibus adferunt verba: omnium Marcellorum meum pectus memoria offudit. Vocabulum offundere subinde legimus apud Livium: alicui offundere caliginem, terrorem, pavorem *). Eo etiam sensu usurpatum videmus à Cicerone apud Quinctilianum: perturbatio istum mentis, et quaedam scelerum offusa caligo, et ardentes furiarum faces excitarunt **). Aliam Ciceronis sententiam, incertum unde haustam, habes apud eumdem scriptorem: nec Cicero, cum se tenebras offudisse iudicibus in causa Cluentii gloriatus est, nihil ipse vidit ***). Adde hisce: isti autem, quos tu probas, tantis offusis tenebris, ne scintillam quidem ullam nobis ad dispiciendum reliquerunt †). Et deinceps: sic nobis aër crassus offunditur ††); atque: si quid tenebrarum offudit exilium †††); et denique: multis etiam sensi mirabile videri, eam nobis potissimum probatam esse philosophiam, quae lucem eriperet, et quasi noctem quamdam rebus offun-

*) Drakenborch, ad Liv. L. XXXIII. c. VII. §. 8.

**) Institut. or. L. IX. c. 3. p. 812. Burmanni.

***) Inst. or. L. II. c. 17. p. 194.

†) Quaest. academ. L. IV. c. 19.

††) Quaest. ac. L. IV. c. 25.

†††) Tuscul. quaest. L. III. cap. ult.

deret *). Quotquot hucusque adtulimus exempla, commonstrant, verbum hoc ad eiusmodi mutationes designandas adhiberi, quae quasi atra nube animum obducunt; unde nostro loco subtristis quaedam gravitas adiicitur.

Superest altera difficultas quoad formationem sententiae. Verbum offundere coniungitur cum casu dandi: alicui offundere caliginem, tenebras; secus ac hic fieri animadvertimus, ubi cum accusativo effertur: memoria Marcellorum offudit pectus meum. At differunt ut plurimum verba, quae componuntur cum particula *ob;* alia dandi, alia accusandi casum exposcunt; nonnulla utrumque admittunt. Vel enim particula haec idem sibi vult ac obviam: alicui obviam fundere tenebras, pavorem; vel ponitur pro particulis *per*, *circum;* quasi fundere ob animum, ob oculos; atque ita terror animum, nebula oculos, memoria pectus obfundit.

Hunc tu igitur diem - - antepones. etc. Nescio, cur Wolfium, virum harum rerum scientissimum, gratulationes istae offenderint. Quem enim fugit, de gratulationibus romanorum facile librum integrum conscribi posse? Missis igitur iis, de die pauca dicamus, quem Caesar diebus omnibus, quos maximis rebus gestis signavit, tanti civis revocatione reddidit illustriorem. Ne quis in istis iudicium Ciceronis desideret, in memoriam revoco orationem pro C. Rabirio Postumo, cuius aes alienum Caesar sua liberalitate delevit. Totum caput XV et XVI in comparatione versatur rerum Caesaris gestarum cum hoc insigni in equitem romanum collato beneficio; et denique addit: „Sint sane illa magna, quae re vera magna sunt; de iudicio animi mei; ut volet, quisque sentiat; ego enim hanc in tantis opibus, tanta fortuna, liberalitatem in suos, memoriam amicitiae, reliquis virtutibus antepono."

Huius autem rei - - tantum afferat laudibus. — Si quis in oratione nostra locus est scripturae diversitate perturbatus, certe hic est; illi tamen modico auxilio succurri posse confido. Pro vocibus: ut tropaeis, lege, *cum tropaeis;* et in *αποδοσει*: at haec tua iustitia, substitue, *ut haec*, etc. et demum pro: ita ut, pone, *atque ut.* Ecce iam periodum: *quae quidem tanta est, cum tropaeis monumentisque tuis allatura finem sit aetas, ... ut haec tua iustitia et lenitas animi florescat quotidie magis, atque ut, quantum operibus tuis diuturnitas de-*

---

*) De Nat. DD. L. I. c. 3.

trahet, tantum afferat laudibus. Diodorus, quasi vero nostram periodum explicare vellet, sequentia habet, quae cum prolixiora sint, latine versa subiicio: Porro expedit, ut omnes intelligant, quam quisque vivendi rationem inierit, talem post obitum memoriam eius futuram: ne forte in marmoreis monumentis studium omne suum collocent, quae et unius loci angustiis continentur, et temporis lapsu corrumpuntur; sed potius ad doctrinam ceterasque virtutes animum suum applicent, quarum fama] per universum orbem vagatur. Aetas porro, quae] cuncta consumere solet, earum immortalem memoriam conservat, quoque magis progreditur ac senescit, eo recentiores ac viridiores illas praestat. Itaque illi, cum iam pridem esse desierint, in omnium tamen ore versantur *). Iuvat etiam commemorare verba cuiusdam veterum oratorum: amisit animam, potitus est gloria, quae cum summa laude prodita, vetustate quotidie magis enitescet **).

Et ceteros quidem omnes victores bellorum civilium - - - te ipsum vicisti. — In praecedente capite restitutionem Marcelli bellicis laudibus Caesaris anteposuit; substitit tamen orator intra res prospere gestas superiorum temporum. Pro isto vero capite laudem ex bello civili, vel potius ex magnanimitate et moderatione in usu victoriae partam, sibi reservavit, ut, cum de beneficio, quod ex reddito praestantissimo homine in totam familiam redundavit, acturus esset, repositam haberet dicendi materiam. Quantum ad ista, ait, te ipsum vicisti. Maiorem gloriam in Caesarem conferre vix poterat ex mente veterum, quorum omnium loco, ne auctoritates cumulem, Platonem nomino: *το νικαν αυτον αυτον πασων νικων πρωτη τε και αριστη* ***).

Vereor, ut hoc, quod dicam perinde intelligi auditu possit — — a quo etiam ipsius victoriae conditio visque devicta est. — Ut censoris in haec commata acerbitatem leniamus, conabimur, quantum in nobis est, protrahere in lucem, quae forte Cicero cogitans explicare verbis inconsultum duxerit. Pertinebant procul dubio ad bellum civile, ad utriusque pugnantium partis animum, et victoriae

*) Excerpt. ex Diod. de vitiis et virtut. e L. VI. p. 556 Wesseling.

**) Rhet. ad Herenn. L. IV. c. 44.

***) De Legib. L. I. p. 8, T. VIII. Bipont.

conditionem, quae exinde pendebat. Quis non videt haec ita esse comparata, ut in amicorum potius sinu reponantur, quam divulgentur. Introspiciamus ergo eius epistolas, quid ferant. Quid si Pompeiani vicissent; scribit ad amicos; quam eos in bello rapaces conspexi, in oratione crudeles, iratos, cupidos, insolentes, ut ipsam nostram victoriam perhorrescerem *)! At de Caesare quid dicam? num eum in caede principum clementiorem fore sperem, quam Cinna fuit, aut moderatiorem, quam Sulla, in pecuniis locupletum **)? Malorum omnium extremum est civilis belli victoria, quae et si ad meliores etiam pervenerit, ferociores reddit et impotentiores; atque victor multa eorum arbitrio, per quos vicit, invitus et necessitate quadam perpetrare cogitur ***). Haec et talia menti eius obversabantur, quae efferre non poterat, quin eos, quorum partes erat secutus, adfligeret, et Caesarem praepostera laude offenderet. Verendum vero erat, si in pectore premeret ista omnia, ut non intelligeretur, quae vis insit sententiae: victoriam vicisse videris.

Quisquis tironum aut declamatorum locum hunc pertractasset, avide belli civilis faces arripuisset, tabulas Sullae, fugam et caedem optimatium, et sibi mirifice placuisset in conquirendis eius modi ornamentis orationis, unde denique, collata Caesaris moderatione, efficeret illud: victoriam vicisse videris. Sed noster in impetu probe memor, quid expediret, solummodo monuit, vellent, expenderent, et divinando adsequerentur, quae et quanta tacitus secum reputet, quamque vim vocibus istis tribuant.

Eo elegantius autem censeri debet hoc genus ὑπερβασεως, quod, cum paullo ante orator in verbis: te ipsum vicisti, illustrissimum, et ex omnium philosophorum sententia summum magnanimitatis argumentum celebrasse, atque omnem materiam laudis exhausisse videretur, praeter exspectationem maius quidpiam invenerit, quod de victore praedicaret: victoriam vicisse videris.

Nam cum ipsius victoriae conditione iure omnes victi occidissemus, - - - visque devicta est. — Vocabulum *iure* omittitur magno codicum consensu. Quod

*) Epist. ad divers. L. IX. ep. 6.

**) Ad Attic. L. VII. ep. 7. 20. 22.

***) Ep. ad div. L. IV. ep. 9. 14. Ad Att. L. VII. ep. 5.

adtinet verba: omnes victi occidissemus, iniquus in Manutium fuit vir doctissimus, ut, quam ipse proposuit, interpretationem stabiliret, certe non ferendam: omnes qui iure victoriae *occidendi fuissent.* Nihilne ergo interest inter *occidimus* et *occisi sumus?* Putabam etiam eos occidisse dici, qui magna calamitate circumventi, bonis, dignitate, patria exciderunt. Cicero ad fratrem: si plane occidimus, me miserum! ego omnibus meis exitio fuero, quibus ante dedecori non eram *). Quandoquidem interpretatio ista valet, si plane occisi sumus: quid iam erit, nisi quod ista Cicero fratri post mortem scripserit?

Sed enim modum huic scriptioni statuamus, differentes reliqua, si placet Superis, in alterum vadimonium. Iamque accingamus nos, Cives academici! ad resumenda exiguo tempore seposita literarum studia; nosque vicissim ad labores nostros excitemus. Vos literarum amore et discendi cupiditate docentibus animum addite, ut, cum operam suam bene collocatam viderint, eo magis contendant vestrum proficiendi desiderium explere: Nos vero ad utilium rerum cognitionem non desinemus identidem vos provocare voce, exemplo, laude et praemiis, quae in nostra potestate posita sunt; tergiversantes monere, instigare, ac omnes et singulos, pro cuiusque meritis, paterna mente fovere. Quo vero feliciter cedant coniuncti conatus nostri, Deum optimum maximum precemur, ut nos et haec studia secundare velit, et almam hanc Albertinam, in bonum iuventutis patriae, servare perennem.

---

*) Epist. ad Quint. Frat. L. I. ep. 4.

ERRATA.

Pag. 6. lin. 1. *χρεησταs* lege *χρεωσταs.*
— 13. — 12. maladictis — maledictis.
— 16. — 9. Diododori — Diodori.